

Wilfried Stroh: De eloquentiae Graecae et Romanae historia

Schola I

(1) **Di immortales** oratoribus inuocandi: 1. Mercurius (Hor.carm.1,10,1 *Mercuri facunde...*); Graece Ἐρυμῆς. 2. *Suada* (Ennius ap. Cic.Brut.59), *Persuasio*, Graece Πειθώ (Eur. Hec.816 Πειθώ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην, „*Suadam quae una inter homines regnat*“).

(2) Ab hac est quae creditur uetustissima artis rhetoricae **definitio**: δημιουργὸς πειθοῦς, *opifex s. artifex persuasionis* (primum apud Platonem, Gorg. 453 A).

1. Ludwig Radermacher (ed.): *Artium scriptores (Reste der voraristotelischen Rhetorik)*, Vindobonae 1951, p. 30 (B II 13)

Alii praesertim Stoici: ἐπιστήμη τοῦ εὐ λέγειν, *scientia bene dicendi*, cf. Quint. inst.2,15,33-38 (quoniam oratorem semper uult esse uirum bonum).

2. Richard Volkmann: *Die Rhetorik der Griechen und Römer in systematischer Übersicht dargestellt*, Lipsiae 2¹884, iter. 1963, 1-16 (de rhetorica definienda)

Sed praeualuit semper definitio prima: unde uidemus artem oratoriam non positam in ornatu uerborum, sed in mutatione opinionum eorum qui audiunt. (De quo rectissime Schopenhauer.)

(3) **Verborum** est est aliqua differentia inter Graecum et Latinum sermonem: Graece ὥρτορική idem ac Latine (*ars*) *rhetorica* s. *oratoria* (quae est posita in *praeceptis*); contra Latina *eloquentia* Graece potius δεινότης uocatur (quae est in ipso usu, non in *praeceptis*). Graece ὥρτωρ idem ualet ac Latine *orator* (qui dicit, non qui docet); contra qui Latine *rhetor* est, docet rhetoricam, non ipse dicit. Nos et de oratoribus et de rhetoribus acturi sumus.

(4) **Rhetorica** proprie dicta **Graecorum** inuentum uidetur; eloquentiae studium etiam aliis in gentibus inuenitur.

3. George A.Kennedy: *Comparative rhetoric: An historical and cross-cultural introduction*, Neo-Eboraci & al. 1998

Inuenta esse dicitur saec. V in Sicilia a Corace et Tisia, qui *artes* (τέχναι) scripserunt; aucta a Gorgia Leontino, qui etiam Athenis artem professus est. Secuti sunt sophistae. Artem rhetoricam docuit Isocrates, summa diligentia elaborauit Platonis discipulus Aristoteles. Postea rhetoricam auxerunt *praecepere* Theophrastus, Hermagoras, Stoici.

Romae rhetorica diu Graece docebatur. Latinam fecit praesertim Cicero compluribus libris.

Post eum de rhetorica maxime meritus est Quintilianus *Institutione oratoria*.

4. Heinrich Lausberg: *Handbuch der literarischen Rhetorik: Eine Grundlegung der Literaturwissenschaft* (1960), Stutgardiae 3¹990 (tantum de arte)

5. Manfred Fuhrmann: *Die antike Rhetorik, eine Einführung*. Monachii / Turici 1984, 4¹995 1995), Darmstadii 2001 (et de arte et de historia rhetoricae, non de ipsa eloquentia)

(5) **Eloquentiae** Graecae initia apud **Homerum** inueniuntur. Fere dimidia pars et Iliadis et Odysseae ex orationibus constat. Eminet Vlices facundissimus praesertim in mendaciis. Sed etiam Ilias exempla acuminis oratorii praebet. Vbi Phoenix Achillis magister sic esse instituendum puerum dicit, ut sit „*verborum orator et actor rerum*“ (Il. 9, 443 μύθων τε ὥρτηρ' ἔμεναι προητήρα τε ἔργων).

Vt in libro I Achilles et Agamemno irati disertissime inter se altercantur. Ad persuasionem magis pertinent orationes, quibus in libro IX Vlices, Phoenix, Aias Achillem ab ira reuocare conantur; hic uaria dicendi genera ab Homero inter se comparari uidentur. Oratio artificiosissima autem inuenitur in libro II, ubi Agamemno Graecis militibus simulando suadere uidetur, ut a militia Troiaque desistant, re uera eos ad expugnandam Troiam hortari conatur. Quae postea a rhetoribus *oratio figurata* (λόγος ἐσχηματισμένος) dicta est.

Notissimum exemplum est M. Antoni oratio in *Iulio Caesare* Gulielmi Shakespeare.

6. Wilfried Stroh: „Mark Anton ironisch? [...]“, in: Karl Enenkel & al. (ed.), *Recreating ancient history*, Lugduni & al. 2001, 253-267

Schola II

(7) **Hesiodus** quoque inter eloquentissimos poetas habendus. Sed Hesiodus etiam **rhetoricae** ipsius quodammodo pater dici meruit. Nam Musae, quas illic et in *Theogonia* inuocat, 1. non solum poetas, sed etiam reges, i.e. ciuitatis principes, instruunt orationis melle (*theog.* 80-97), 2. etiam affectus mouent (cum hominem maestitia oppressum consolantur, *theog.* 98-103), 3. et uera dicunt et mendacia ueris similia ($\psi\epsilon\bar{\nu}\delta\epsilon\alpha \dots \dot{\epsilon}t\bar{\nu}\mu\bar{\iota}\sigma\iota\sigma\bar{\iota}\nu \bar{\delta}\mu\bar{\iota}\alpha$), *theog.* 27-28).

7. Wilfried Stroh: "Hesiodes lügende Musen". In: Herwig Görgemanns / Ernst A. Schmidt (Hrsg.): *Studien zum antiken Epos* (Festschr. Franz Dirlmeier, Viktor Pöschl), Meisenhemii a. Gl. 1976, 85-112

(8) **Veri simile** ($\varepsilon\bar{\iota}\kappa\bar{\omega}\zeta$) quantum ualeat totamque artem rhetoricae repperisse dicuntur in **Sicilia Corax et Tisias**. Ibi a. 467/6 a. Chr. electis tyrannis, qui diu dominati erant, plurima fuisse iudicia de possessionibus (Aristoteles testis est in *Compendio artium*); in quibus uicisse non semper qui iustiores sed saepe qui eloquentiores fuerint. Quare Coracem primum coepisse rhetoricae docuisse, non gratis scilicet. Cuius discipulus Tisias etiam *Artem* (*Téchnen*) scriptam edidit, in qua multum disputabatur de ueri simili siue probabili quod saepe plus quam uerum ualeret. Exemplum notissimum: Vir robustus, sed ignauus, ab imbecilliore, sed animoso, uerberibus conciditur. Neque hic neque ille in iudicio uerum debebit dicere. Nam qui uerberauit, dicat: „Quomodo ego audeam fortiorem inuadere?“ Contra uerberatus: „Ille me cum pluribus sociis aggressus est“. – Quid si robustior aut uerberauit aut uerberauisse putatur? Dicat: „Non me hoc ut robustiorem fecisse probabile est, quoniam antea sciuissem me in suspicione futurum.“ Hoc autem dicunt τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν (*orationem infirmiorem ualidiorem reddere*); sic Aristot. rhet. 1402 A (= Radermacher B II 20).

8. George A. Kennedy,: *The art of persuasion in Greece*, Princeton N.J. 1963, 26 sqq.

9. Edward Schiappa: *The beginnings of rhetorical theory in classical Greece*, New Haven / London 1999 (audacius quam uerius fere omnia negat quae de Corace et Tisia tradita sunt)

(9) Prima huius argumentationis exempla inueniuntur in **Hymno ad Mercurium** (qui falso Homero adscribitur). Vbi Mercurius infans disertissimus unum diem natus negat se propter imbecillitudinem facere potuisse ut Apollinis boues surriperet (quod tamen fecit). Sequuntur exempla in tragoediis: ut Sophocles in *Oedipode rege*, Euripides in *Hippolyto*.

10. Herwig Görgemanns, „Rhetorik und Poetik im homerischen Hermeshymnus“, in: Görgemanns / Schmidt, *Studien* (ut supra n.7) 113-128

(10) Dicuntur Corax et Tisias primi orationem in partes digessisse (quae **orationis partes** non sunt eaedem ac partes rhetoricae); quarum praecipuae semper fuerunt quattuor: 1. προοίμιον (*prooemium, exordium*), 2. διήγησις (*narratio*), 3. πίστεις (*argumentatio*), 4. ἐπίλογος (*peroratio*). Multae aliae accedere possunt. Singulis partibus sua officia attribuebantur, ut erat prooemii 1. audientes beniuolos reddere, 2. attentos, 3. dociles.

11. Lucia Calboli Montefusco: *Exordium narratio epilogus: Studi sulla teoria greca e romana delle parti del discorso*, Bologna 1988

(12) Quae Corax Tisiasque inuenerunt, ad primas partes rhetoricae, **inuentionem** et **dispositionem**, pertinebant. **Elocutionem** maxime Gorgias Leontinus (484-376 a.Chr.) elaborauit, cuius tres orationes integrae seruatae sunt: 1. *Helena encomium* (siue *laudes*), 2. *Palamedis apologia* (siue *defensio*), 3. Περὶ τοῦ μὴ ὄντος siue Περὶ τῆς φύσεως, *De natura*. In quibus maxime eminent σχήματα, quae Γοργίεια dicuntur (*figurae Gorgianae*). Quorum notissima sunt ἀντίθετον, ἴσοκωλον (πάρισον), ὁμοιοτέλευτον, quae tria pertinent ad *parallelismum membrorum* qui nunc uocatur. (Periodus habet plura membra siue κῶλα.). Exemplum e Cicerone, Mil. 10: *est haec non scripta, sed nata lex, // quam non didicimus accepimus legimus, // uerum ex natura ipsa adripuimus, hausimus expressimus [...]*.

12.Thomas Buchheim (ed.): *Gorgias v. Leontinoi: Reden, Fragmente und Testimonien*, Hamburg 1989

Schola III

(ad 12) Exemplum figurarum Gorgianarum: Gorgias, VS (*Vorsokratiker*, ed. Diels/Kranz) 82, B 6 τί γὰρ ἀπῆν τοῖς ἀνδράσι τούτοις / ὃν δεῖ ἀνδράσι προσέναι; // τί δὲ καὶ προσῆν / ὃν οὐδὲν προσέναι; Quid enim defuit illis uiris (eorum),/ quae debent uiris adesse?// Quid autem adfuit (eorum), / quae non debent adesse? (Latine transt. Stroh)

(13) Gorgias nunc inter **sophistas** numeratur i.e. eos qui eo tempore (saec. V exeunte) Athenis adulescentes pro mercede instituebant, ut meliores ciues fierent utque primas partes in re publica agere possent. Erant autem sophistae (σοφισταί), si originem uerbi spectamus, uiri **sapientes** uariae doctrinae periti. Commune autem id habebant quod fere omnes peregrini erant, non Attici, et quod rhetoricam ut summam *παιδείας* (*educationis*) docebant.

13. George B. Kerferd/Helmuth Flashar, in: Flashar (ed.), *Die Philosophie der Antike* uol. 2/1, Basileae 1998, 3-137 (conspectus opinionum recentiorum)

14. Heinrich Gomperz, *Sophistik und Rhetorik*, Lipsiae / Berolini 1912, iter. 1965 (optime de Gorgia)

(14) Ac notissimus est **Protagoras** Abderites (VS 80), qui et politicis et grammaticis rebus studebat. Is eam sententiam dixit quae omnium celeberrima est (B 1): *πάντων χορημάτων μέτρον ἄνθρωπος (homo mensura omnium)*, quod Plato sic interpretatur: nihil per se tale aut tale esse, sed proinde ut cuique uideatur. Vnde nunc multi credunt sophistas omnes certam ueritatem negauisse. Quod falsum uidetur. Neque omnes sophistas philosophis adscripseris. - **Prodicus** Ceus (VS 84) uerborum etymologiam maxime curabat; maxime autem notus est propter fabulam de Hercule in biuio (B 2). **Hippias** Eleus (VS 86) autem plurimarum artium ac disciplinarum peritus uidebatur, qui etiam suas sibi ipse soleas confecisse se gloriatus est. In rhetorica Protagoras communes locos maxime tractauit, Prodicus affectus, Hippias memoriam. Partes orationis subtilissime digessit **Theodorus** Byzantius. Optime meritus de elocutione uidetur **Thrasymachus** Calchedonius (VS 85), qui periodos dilatauisse et numerum oratorium adhibuisse primus dicitur. Eius ferebatur Μεγάλη τέχνη (*Magna ars*).

(15) Omnes sophistae noti nobis sunt maxime e dialogis Platonis, in quibus **Socrates** ut aduersarius acerrimus sophistarum inducitur. Tamen Socrates ipse in Aristophanis comoedia cui titulus *Νεφέλαι (Nubes)* a. 423 ut maximus sophista et rhetor malitiosissimus carpitur, uix id quidem iure. In *Apologia* Platonis certe artes oratorias contemnere uidetur.

15. Andreas Patzer (ed.), *Der historische Sokrates*, Darmstadii 1987, praes. 1-40; 434-452

(16) Cur **Athenis** ars oratoria potissimum culta sit, facile dictu est. Ibi propter ciuitatem maxime popularem (q.d. δημοκρατία) contio (ἐκκλησία) et iudicia publica (δικαστήρια) maxime idoneas oratoribus (q.d. ὥντορες) facultates praebebant. Accedebant orationes funebres (λόγοι ἐπιτάφιοι) in funeribus publicis. Illic igitur floruerunt saec. V et IV ei qui postea dicti sunt *Oratores Attici*, numero decem. Quorum primus fuit **Antiphon** Rhamnusius. Is et rhetoricam docuisse uidetur et aliorum in usum ut *logographus* (λογογράφος) orationes scribebat quibus in iudiciis aut defendere sese aut alios accusare possent. Qui primus ex Atheniensibus suas orationes edidit. Quod autem a. 411 Quadringentis optimatibus adhaeserat, ipse accusatus et morte damnatus est. Discipulus eius fertur Thucydides.

(17) Seruatae illius nobis sunt quindecim **orationes**, quarum tres in ueris iudiciis habitae sunt, duodecim ad similitudinem uerarum causarum fictae controversiae sunt; quae uocantur **Tetralogiae** (τετραλογίαι). In quibus bis accusator dicit, bis reus respondet. Atque hic praesertim ars probabilia inueniendi ostenditur. E ueris actionibus notissima est oratio prima, qua priuignus nouercam accusat, quod suum patrem (i.e. maritum nouercae) ueneno occiderit.

16. Ernst Heitsch: *Antiphon aus Rhamnus*, Moguntiaci 1984

17. Friedrich Blass: *Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias I*, Berolini 1868, 79-195

Schola IV

(18) Inter Oratores Atticos q.d. secundum locum obtinebat **Andocides** nobili genere natus, qui numquam ut λογογράφος aliis orationes scripsit nec rhetoricam docuit. Is a. 415 a.Chr. cum eis fuisse putabatur, qui Mercurii statuas Athenienses uiolauerant (dicebanturque ἔρμοκοπίδαι). Quare exul factus cum post multos annos in patriam redisset, a. 400 in iudicio accusatus est, quod contra legem Eleusiniis mysteriis interfuisset. Atque hic (oratione *De mysteriis*) contra crimina uetera et noua felicissime sese defendit eum in modum, ut longam narrationem non continuam explicaret, sed in partes diuideret, singulis partibus singulas argumenta subiceret. Quod postea multi imitati sunt. Primus autem etiam orationes deliberatiuas (in contione habitas) scriptas edidit, quod paucissimi fecerunt.

18. D.M. MacDowell (ed., comm.): *Andocides De mysteriis*, Oxonii 1962

(19) Notissimus omnium λογογράφων est **Lysias** propter singularem gratiam (χάριν) eius orationibus affusam. Qui non ciuis Atticus erat, sed, quamquam Athenis habitabat, semper μέτοικος (peregrinus) mansit. Scripsit autem orationes, ut uidetur, praecipue pecuniae causa, cum propter tyrannidem Triginta tyrannorum a. 404 patrimonium perdidisset. In quibus orationibus omnes nunc quoque admirantur ήθοποιίαν (morum fictionem). Effecit enim ut ei, qui eius orationes de memoria recitabant, ipsi homines maxime probi, innocentes, pacis amantes, non callidi, uersuti, litigiosi uiderentur.

19. Kenneth J. Dover, *Lysias and the Corpus Lysiaca*, Berceleiae / Angelopoli 1968

(20) Ex 35 orationibus eius seruatis (quae non omnes genuinae sunt) semper uel propter ipsam materiam placuit maxime prima, quae inscribi solet **De caede Eratosthenis**. Euphiletus enim ciuis Atticus Eratosthenem aliquem occiderat, quare nunc ab eius necessariis in iudicium uocatur. Defendit autem sese eo quod Eratosthenem illum in manifesto adulterio una cum uxore sua deprehenderit: fas esse autem adulterum manifestum necare. Quid accusatores contra dixerint diuinare licet: Eratosthenem dolo malo in aedes Euphileti uocatum esse, ut ibi occideretur; tum, cum in aram fugisset, inde abreptum et trucidatum esse.

Euphiletus autem non callidissimis argumentis utitur quibus comprobet nullo modo ueri simile esse se uoluisse illum interficere, sed ut homines simplices solent longissima oratione matrimonii sui historiam et domus suae naturam explicat. Dumque aperit quomodo uxor ab adultero corrupta sit et ipse id demum cognouerit, non hominis sagacis aut suspiciosi speciem praebet, sed potius stulti ac creduli.

(21) Paene etiam notior est oratio breuiuscula, quam **Pro inualido** scripsit (or. 24). Inualidi enim homines, qui uictum sibi quaerere non poterant, cottidie unum obolum ex aerario accipiebant. Sic etiam ille, qui tamen nunc reus factus est, quod accusator negaret eum hoc stipendio dignum esse. Qui Lysia auctore uix conatur infirmitatem corporis demonstrare aut misericordiam implorare, sed plurimis iocosis festiuisque sententiis in aduersarium inuehendo iudices ad risum commouet, ut libenter tam faceto scurrae obolum concedant.

20. Kai Brodersen / Ingeborg Huber (ed.), *Lysias Reden*, griech. u. deutsch, 2 uol., Darmstadii 2004

21. S.C. Todd (ed.): *A commentary on Lysias, Speeches 1-11*, Oxonii 2007

(22) Multo minus notus, sed uix peior quam Lysias est **Isaeus**, qui illi aetate quasi successit (mortuus post 343 p.Chr.). Qui unus ex omnibus oratoribus Atticis numquam in re publica uersatus est, cum omni studio ut λογογράφος in orationes exarandas incumberet. Ad nos autem peruenierunt eius 12 orationes mirifice expolitae, quae omnes uersantur in causis hereditatum, ubi haud facile est auaritiam litigatorum facta pietate dissimulare.

22. William Wyse: *The Speeches of Isaeus with critical and explanatory notes*, Cantabrigiae 1904

23. Karl Münscher, in: *Zeitschrift für vergleichende Rechtswissenschaft* 37, 1920, 32-328 (translatio Germanica cum breuiore commentario)

Schola V

(23) Discidium **philosophiae** et **rhetoricae** incipere uidetur a Platone et **Isocrate** qui fere eodem tempore adulescentes erudire coeperunt et suas quasi disciplinas condiderunt. Quorum Isocrates paulo maior natu cum Gorgiae discipulus fuisset primum ut λογογράφος pecuniam meruit. Quod eo libentius fecit quod ipse in publicum prodire et ad populum dicere innata quadam timiditate non audebat. Quare nullam umquam orationem ipse habuit. (Nec defuerunt qui id ei obicerent, ut **Alcidamas**, et ipse Gorgiae discipulus, defensor orationis subitae.)

(24) Anno fere 390 a.Chr. edidit orationem, qua omnes qui tum Athenis erudienda iuuentuti operam dabant reprehendendo quasi in certamen prouocauit, inscriptam **In sophistas** (Κατὰ τῶν σοφιστῶν = in magistros publicos). Quos in tres partes diuidit: 1. qui in „disceptionibus“ (ἐριδες) uersentur; sunt autem Socratici (ut Antisthenes et fortasse Platon) qui certam ueritatem quaerant et discipulis uitam beatam promittant; 2. qui „orationes ciuiles“ (πολιτικοὶ λόγοι) promittant; 3. qui „artes“ (τέχναι) scribant quibus aliquis „causas agere“ (δικάζεσθαι) discat. Ac primos (1) irridet quod pro promissis suis nimis paruam mercedem poscant! Alteros (2) quod ea uia ac ratione tradi posse credant, quae semper incerta ex occasionibus (καιροί) pendant. Tertios (3) quod rebus friuolis neque honestis occupati sint.

(25) Has ob causas dicit multos qui numquam cum aliquo sophista fuerint meliores esse ciues et priores agere partes in re publica quam eruditos. Nam **naturam** et **usum** plurimum ualere, **doctrinam** accedere debere. In optima autem disciplina (i.e. in sua, quam **philosophiam** uocat) praecipuam esse exercitationem, qua species (ἰδέαι) doctrina perceptae occasionibus accommodentur. Hac autem disciplina fieri ut non solum oratio, sed etiam mores emendentur. Quae in oratione multo post edita *De antidosi* (Περὶ τῆς ἀντιδόσεως) accuratius explicat.

(26) Plurimae autem orationes quas scriptas edidit habent formam orationis deliberatiuae cum tamen magis demonstratiuae sint. Ac notissimae sunt *Panegyricus*, qui continet laudes Athenarum, et *Philippus*, quo regem Macedonum ad bellum contra Persas gerendum hortatur.

24. Wolf Steidle, „Redekunst und Bildung bei Isokrates“ (primum 1952), in: Horst-Theodor Johann (ed.), *Erziehung und Bildung in der heidnischen und christlichen Antike*, Darmstadii 1976, 170 sqq.

(27) Plato autem Socratis discipulus paucis annis post illam orationem editam et ipse suam **Academiam** constituit et in **Gorgia** suo quid de rhetorica sentiret aperuit. In hoc enim dialogo Gorgias cum Socrate disputans inducitur. Cum autem ille affirmet rhetorica artem eam esse qua et honeste et turpiter uti possis, a Socrate refutatur. Qui tamen tantopere eam non laudat, ut acerrime uituperet: similem esse artibus corpora fucandi (κομμωτική) et delicias coquendi (όψωποική), quae male substituant ueris artibus gymnasticae (γυμναστική) et medicae (ἰατρική). Vt illas simulatas artes ita rhetorica ueram **artem non esse**, sed „experientiam aliquam sine ratione“: non enim quaerere oratores quid bonum atque utile sit audientibus, sed quid iucundum. - Vnde illa disputatio: utrum ars sit rhetorica necne.

(28) In **Phaedro** autem, quem Plato multo postea senior scripsit, aliter de rhetorica iudicat. Ibi enim Socrates orationem aliquam a Lysia scriptam sic enarrat ut eius uitia illustret. Cum enim Lysias demonstrare uelit pueros magis obsequi debere eis amicis qui se non ament quam eis qui ament - quod est contra exspectationem -, neque a definitione amoris orditur neque dispositionem certam sequitur. Huic opponit Socrates rhetorica quae **uera ars** esse possit. Eam debere uti **dialectica**: est autem ars singulas notiones per species diuidendi (ut amoris tamquam insaniae duea sunt species, altera quae noceat, altera quae prosit). Hac autem arte rhetorica adiuauri: (1) quod etiam is orator, qui fallere uelit, similitudinem rerum cognoscere debeat, ut aliud pro alio uendere possit; (2) quod optimus orator, qui affectus commouere conetur, scire debeat quod genus sermonum cui hominum generi aptum sit.

(29) In libris uero **De re publica** scriptis et in **Politico** Plato confiteri uidetur artem rhetorica etiam necessariam esse ad uulgi animos ad arbitrium regentium moderandos.

25. Herwig Görgemanns: *Platon*, Heidelbergae 1994

Schola VI

(30) Nemo magis meritus de arte rhetorica uidetur quam **Aristoteles**, Platonis discipulus nobilissimus. Qui et in *Artium Compendio* (Τεχνῶν συναγωγή) quae inde a Tisia rhetores docuerant collegit et ipse in tribus libris Ἐρητορικὴ inscriptis tres partes rhetoricae diligentissime elaborauit: I et II inuentionem (Gr. εὑρεσις), III elocutionem (λέξις) et dispositionem (τάξις) – hoc ordine! Cum autem philosophorum more multa magis subtiliter quam utiliter docuisse, posteri rhetores eum non ubique secuti sunt.

(31) Multis locis Platonem magistrum sequitur, nonnumquam ei aduersatur. Vt cum initio rhetoricae **artem esse** asseuerat, quod Plato negauerat. Multos enim temere persuadere, multos autem e consuetudine; hoc autem fieri posse etiam uia ac ratione, si quis **causam** indicet cur hi et illi assequantur quod uelint: id autem artis esse. Esse autem rhetoricae, si **definitio** quaeratur, uim cognoscendi quid in quaque re probabile (πιθανόν) sit. Quare non ipsam persuasionem finem propositum esse oratoribus, sed cognitionem omnium quae probabilia sint. Neque enim semper oratorem persuadere posse, ut medicum non semper mederi. Quod quamquam uerum est, hoc loco Aristoteles sese non modo maxime separat a sophistarum (ut Gorgiae) iactatione, sed fortasse etiam a sensu communi.

(32) Omnis igitur rhetorica est in **probationibus** (πίστεις) siue eis quae quamque rem probabilem reddere possunt. Quas Aristoteles ingeniose in tres partes diuidit: sunt enim aut (1) in **oratione ipsa** (ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ), cum aliquid docemus aut docere uidemur, aut in (2) **moribus dicentis** (ἐν τῷ ἥθει τοῦ λέγοντος) aut in (3) quadam affectione audientium (ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναι πως) – quae postea Cicero uocatus erat (1) *docere* (2) *conciliare*, (3) *mouere*. Primum spectat ad rem, secundum ad dicentem, tertium ad audientem (quod totum nunc dicitur *trigonum communicationis*).

(33) In prima parte autem (λόγος) orationes omnes in tria genera dicendi distribuit: (1) **iudiciale** (δικανικόν), (2) **deliberatiuum** (συμβουλευτικόν), (3) **demonstratiuum** (ἐπιδεικτικόν). In primo accusant et defendant, quaeritur iustum et iniustum, agitur de rebus praeteritis. In secundo hortantur aut dehortantur, quaeritur utile et inutile, agitur de rebus futuris. In tertio laudant aut uituperant, quaeritur honestum et turpe, agitur de rebus praesentibus (quod uix conuenit). In primo et secundo auditor est quasi iudex, in tertio tantum spectator. Atque hic in tertio Aristoteles traditam uim uerborum maxime nouat. Fuerant enim antea *epidicticae orationes* eae quibus orator artificium suum ostentabat.

(34) Duo autem genera probandi Aristoteles accuratissime tractat (quae antecessores neglexerant): **enthymema** (ἐνθύμημα) et **exemplum** (παράδειγμα). Atque enthymema est syllogismus quidam, qui a uero syllogismo eo differt, quod tantum ueri similis est. Exemplum rem similem affert ut aliquid probabilius uideatur. Simili modo nos nunc inter *deductionem* et *inductionem* distinguere solemus.

(35) Ex multis eis quae Aristoteles de **elocutione** praecipit eminent quae dicuntur de translatione (μεταφορά). Deinde primus praecepta dare de numero oratorio conatur: oportere ut oratio numeros (ὄνθιμός) habet, non metrum (μέτρον) siue nimis accuratos pedes. Distinguit etiam id genus dictionis quo membra periodis astricta sint ab eo quo ea tantum inter se subsequantur. - In **dispositione** autem solum duas partes orationis necessarias dicit: propositionem rei (i.e. narrationem) et argumentationem. Ecce philosophum!

26. Christof Rapp (ed.): *Aristoteles Rhetorik*, Berolini 2002 (translatio et commentarius)

27. Rudolf Stark (ed.): *Rhetorica - Schriften zur aristotelischen und hellenistischen Rhetorik*, Hildeshemii 1968

28. Antje Hellwig: *Untersuchungen zur Theorie der Rhetorik bei Platon und Aristoteles*, Gottingae 1973

Schola VII

(36) Oratorum Atticorum longe optimus sine dubio fuit **Demosthenes** (384-322 a.Chr.), qui antiquis temporibus uocabatur ὁ ὄρτωρ; laudabatur enim in eo singularis δεινότης (uis dicendi). Neque eam natura dedit, sed ἀσκησις siue μελέτη i.e. **exercitationes** ad emendandam pronuntiationem institutae (de quibus mirae res narrantur). Quare postea pronuntiationem unam dominari in oratore dixit. Docuit eum Isaeus - an Plato quoque? Causas primas egit 18 annos natus aduersus tutores suos, qui eum magna parte patrimonii fraudauerant. Tum logographi professione pecuniam meruit. Denique rem publicam capessiuit, in contione ad populum dicebat (inde ab a. 354).

(37) Atque inde ab a. 351ciues suos monere coepit, ut **Philippo II** regi Macedoniae in dies latius imperanti strenue armis et pecunia resisterent. Ac prima est *oratio in Philippum I* (a. 351), in qua apertis uerbis se populo iucundis uerbis blandiri nolle confitetur. Quam multae similes orationes acerbiores secutae sunt, quae nunc uocantur **Philippicae orationes** (Φιλιππικοὶ λόγοι). Sunt autem duodecim in codicibus (quorum tamen tres Demosthenis non sunt): 1-3: *Olynthiacae I-III*; 4: *In Phil. I*; 5: *De pace*; 6: *In Phil. II*; 7: [De Halonneso]; 8: *De rebus in Cherroneso*; 9-10: *In Phil. III-IV*; 11: [In epistulam Philippi]; 12: [Epist. Phil.].
29. Wolfhart Unte (ed.): *Demosthenes, Politische Reden*, gr.-dt., Stutgardiae (Reclam) 1985 (or. I-VI, VIII-X)

(38) **Olynthus** ciuitas in Chalcidice sita ab Atheniensibus contra Philippum auxilium implorabat. Cui ut succurreretur, quoniam ea esset maxima occasio (καιρός) Philippo nocendi, Demosthenes tribus orationibus (or. 1-3) hortabatur - sero, ut uidetur: nam Olynthus misere capta et deleta est. Tunc orator et ipse pacem suasit (or. 5) et inter legatos fuit qui a. 346 Pellae cum Philippo de foedere agerent. (Quae postea appellata est *pax Philocratea*). Tunc autem discidium inter Demosthenem et **Aeschinem**, qui et ipse legatus fuerat, exortum est. Quare eum postea Demosthenes acusauit **De falsa legatione** (παραπρεσβεία), quod a Philippo corruptus ciues suos falsis promissis decepisset. Atque is paene condemnatus est.

(39) E posteris *Philippicis* (or. 6 ; 8-11) uidemus Demosthenem acutius perspexisse quam alios Philippum libertatis ipsius et ciuitatis popularis hostem esse eumque iam pacis obtentu bellum gerere. Cui ut apertius aduersaretur populum hortabatur. Summum autem eius meritum putabatur quod in maximo discrimine rerum Thebanis dudum Atticae gloriae riualibus persuasit, ut foedus cum Atheniensibus facerent. Ad **Chaeroneam** autem a. 338 utriusque urbis exercitus a Philippo et Alejandro adulescente pessime deuictus est. Tunc Philippus totius Graeciae dux dici uoluit, commune bellum contra Persas, ut Isocrates suaserat, incohabat (neque ipse perfecit).

(39a) Annis posteris in contionibus consilia dare populo Demosthenes numquam desiit; semper occasionem patriae liberandae quaerebat. Quem mors subita Philippi a. 336 uana spe impleuit; nam Alexandrus, qui patri successit, eo etiam felicior erat. Cum autem **Ctesiphon** quidam ut Demosthenes propter egregia merita iussu populi coronaretur rogauisset, id Aeschines impediebat, quasi contra leges fieret: pessime enim Demosthenem de patria meritum esse. Vnde ortum est a. 330 iudicium **De corona**, in quo Demosthenes et acta sua felicissime defendit et Aeschini proditionem patriae exprobrauit. Qui deuictus Rhodum secessisse dicitur. Postea autem Demosthenes iterum ipse a. 323 accusatus est quod ab **Harpalo** Macedone pecuniam accepisset. Cum autem damnatus esset, exul factus Calauream fugit. Paulo post in patriam reuocatus auctor fuit ut in Antipatrum Macedonem arma sumerentur. Sed cum ad Amorgum classis maxima Atheniensium uicta esset, iterum fugit et ipse se uita priuauit.

30. Zürcher, Walter (ed.): *Demosthenes: Rede für Ktesiphon über den Kranz*, Darmstadii (WBG) 1983

31. Gustav Adolf Lehmann: *Demosthenes von Athen: ein Leben für die Freiheit*, Monachii (Beck) 2004

Schola VIII

(40) *Rhetorica* quae Aristotelis ad Alexandrum inscripta est nunc plurimorum iudicio **Anaximeni** Lampsaceno tribuitur. Quam multi ante Aristotelis ipsius *Rheticam* scriptam esse uolunt, sed non nulla auctor ex Aristotele ipso haurire uidetur. Vt, cum esse uult septem genera orationum, illum sequitur tribus illis generibus Aristotelicis in binas partes diuisis et uno addito quod uocat ἔξετασικόν (*examinatorium*). Item distinguit inter probationes *inartificiales* (ἀτεχνοί), quales sunt testes, qui oratori a rebus ipsis ministrantur, et *artificiales* (ἔντεχνοί), quae sibi orator ipse excogitat. Haec rhetorica autem multos locos affert quibus oratores ubique uti possint. Diuisa est autem in tres partes: I. de septem generum locis propriis, II. de omni genere probationis et elocutionis, III. de partibus orationum.

32. P. Chiron, „The rhetoric to Alexander“, in: Ian Worthington, *A companion to Greek rhetoric*, 2007, 90-106

(41) Aetate quae uocatur **hellenistica** magnum detrimentum accepisse creditur eloquentia Graecorum. Tunc praesertim in Asia floruisse dicunt oratores qui postea uocabantur **Asiani**, quorum princeps fuisse dicitur **Hegesias**, partim tumidus, partim nimis argutus. Sed eius ceterorumque similium paucae restant reliquiae. Athenis cultissimus orator fuisse creditur **Demetrius Phalereus** (quasi regnans ibi a. 317-307), sed is Cicerone teste *non tam armis institutus quam palaestra [...] delectabat magis Athenienses quam inflammabat* (*Brut.* 37).

33. Eduard Norden, *Die antike Kunstrprosa* (primum 1898), Darmstadii 1958, 126-155 (liber caute legendus!)

34. J. Adamietz, „Asianismus“, in: G. Ueding (ed.), *Historisches Wörterbuch der Rhetorik* I (1992) 1114-1120

35. Stanley E. Porter (ed.), *Handbook of classical rhetoric in the hellenistic period 330 B.C. - A.D. 400*, 1997

(42) Aut ab hoc (Demetrio) inuentae aut huius temporibus primum instituta traduntur eae exercitationes, quas Romani dicebant **declamationes** (Graece μελέται), id est in fictis materiis orationes scholasticae similes eis quae in foro uersantur. Sunt autem aut **suasoriae** (e genere deliberatio) aut **controversiae** (e genere judiciali): In suasoria deliberanti cuidam quid agat consilium datur; in controversia autem causa judicialis simul cum lege aliqua fingitur. Hoc totum genus nobis maxime notum est e Seneca maiore.

36. D.A. Russell, *Greek declamation*, Cantabrigiae 1983

(43) In rhetorica arte primum ea aucta sunt quae ad **elocutionem** pertinebant. Nam **Theophrastus Peripateticus** distinxit in libro *De elocutione* (Περὶ λέξεως) quattuor **virtutes dicendi**, quae sunt ἐλληνισμός (postea *Latinitas*), σαφήνεια (*dilucidum*), πρέπον (*aptum*), κατασκευή (*ornatus*). Num is etiam tria **genera dictionis** esse statuerit (ὑψηλόν, *grande* – μέσον, *medium* – ἴσχνόν, *humile*), incertum est. Ea certe posteris arridebant; Ps.-Demetrius in l. *De elocutione* (Περὶ ἐρωμείας) addidit quartum, δεινόν. – **Stoici** autem magis in figuris elaborabant, **schemata a tropis** distinguebant, ubi similitudinem, uicinitatem, contrarium ualere uiderunt. Ipsi tamen oratores pessimí erant; Epicurei a rhetorica omnino abhorrebant.

(44) Grauissimus autem auctor omnis eloquentiae posteræ **Hermagoras Temnius** fuit (II saec. a. Chr. n.), cuius *Artium rhetoriarum* praecepta nunc e Cicerone, Quintiliano aliis cognosci licet. Summum autem inuentum eius erat **doctrina statuum** siue *constitutionum* (Graece στάσεις), qua oratoribus nouam ad argumenta inuenienda uiam monstrauit. Omnes definitas causas (ὑποθέσεις) diuisit in *genus rationale* (λογικόν) et *legale* (νομικόν), quod in illo ratio dominetur, in hoc lex aut scriptum aliquod interpretandum sit. Generis rationalis status sunt quattuor: 1. *coniectura* (στοχασμός): „num fecerit“ 2. *definitio* (ὅρος): „num hoc fecerit“, 3. *qualitas* (ποιότης) „num iure fecerit“, 4. *translatio* (μετάληψις): „num apto iudicio petatur“. In genere legali plurimum ualet *quaestio e scripto et sententia*, ubi uerba alicuius scripti a sententia auctoris discrepare uidentur. Singuli status plurimos habent **locos**.

37. Dieter Matthes, "Hermagoras von Temnos (Forschungsbericht 1904–1955)", *Lustrum* 3, 1958, 58–214

Schola IX

(45) Romae ab urbe condita oratores fuerunt: Romulus oratione placauisse Sabinas uirgines raptas dicitur; Brutus post Lucretiae mortem animos accendisse in reges. At haec fabulosa sunt. Temporibus quorum certiora sunt testimonia tres fuerunt **loci dicendi**: ad iudices (sive in causis publicis, sive in priuatis), ad populum, in senatu. Quartum locum dabant orationes funebres. Sed ex his liberae rei publicae temporibus seruatae ac notae sunt solum orationes M. Tullii Ciceronis (106-43). Qui tamen in *Bruto* historiam uetustiorum oratorum percenset.

(46) Inde discimus fere primam olim seruatam fuisse orationem qua **Appius Claudius Caecus** a. 280 usus est. Oratoris nomine dignior fuisse dicitur M. Cornelius Cethegus, ab Ennio *Suadæ medulla* appellatus. Sequitur M. Porcius **Cato** Censor a Cicerone tamquam Lysias Romanus celebratus (cuius nos quoque tenemus non paucas reliquias orationum). Postero tempore praeter C. **Laelium** eminuisse dicitur Ser. Sulpicius **Galba**, postea C. **Gracchus**, tam dicendo praeclarus quam uita ac factis perniciosus rei publicae. Ad summam autem perfectionem eloquentiam prouexisse Cicero dicit L. Licinium **Crassum** et M. **Antonium**. Quorum mores et genera dicendi maxime cognoscimus e libris quos Cicero *De oratore* scripsit. Inter minores natu palma Q. **Hortensio** dabatur, cuius riualis Cicero ipse exitit. Qui ex aequalibus maxime Iulium **Caesarem** et M. **Claudium Marcellum** laudat.
38. Friedrich Leo: *Geschichte der römischen Literatur*, uol. 1: *Die archaische Literatur*, Berolini 1913 (it. 1967)
39. Henrica Malcovati (ed.): *Oratorum Romanorum Fragmenta liberae rei publicae*, Aug. Taur. (1930)⁴ 1976
40. George A. Kennedy: *The Art of rhetoric in the Roman World 300 B.C. - A.D. 300*, Principitoniae N.J. 1972
41. Werner Suerbaum (ed.): *Die archaische Literatur von den Anfängen bis Sullas Tod*, Monachii (HAW) 2002
42. William Dominik (ed.): *A companion to Roman rhetoric*, Malden, MA & al. 2007

(47) Iam saec. II a.Chr. **rhetores Graeci** Romae docere coeperunt. Qui a. 161 una cum philosophis senatus consulto ex urbe expulsi sunt. Tamen multi adulescentes nobiles a magistris Graecis privatum his artibus instruebantur; ac diu permanxit mos Graece declamandi (quem Cicero quoque seruauit). Latine declamandi rationem primus inducere institutione publica L. **Plotius Gallus** conatus est; quos **Latinos rhetores** a. 92 Crassus censor una cum collega edicto reprehendit et paene sustulit, quod contra morem maiorum facerent. Cuius edicti causa fortasse in optimatum commodis posita erat, qui e tali disciplina nimis populares impetus futuros uerebantur. – De rhetorica primus scripsisse Cato fertur (in Libris ad Marcum), cuius sententiae celeberrimae sunt: *Orator uir bonus dicendi peritus et Rem tene, uerba sequentur*. Secutus est Antonius. Proximi sunt Ciceronis duo libri **De inuentione** scripti et **Auctor ad Herennium** q.d., cuius IV libri omnes partes rhetoricae complectuntur. Et quoniam Ciceronis Auctorisque scripta saepe inter se congruunt, nunc plurimi utrumque ex eodem fonte Latino fluxisse credunt. Sed probabilius est *Auctorem* multo post Ciceronem scripsisse.
43. P.L.Schmidt: „Die Anfänge der institutionellen Rhetorik in Rom“, in: *Monumentum Chiloniense*, Amst. 1975
44. Joachim Adamietz: *Ciceros De inventione und die Rhetorik ad Herennium*, Diss. Marburgi 1960

(48) Cicero autem se, cum puer fuerit, plurimum debuisse fatetur Archiae poetae. Oratores studiosissime audiuisse Sulpicium Rufum et Aurelium Cottam excellentes. E rhetoribus adiit postea Apollonium **Molonem**, nonnullos etiam in Asia magistros (quare inmici eum interdum *Asianum* uocabant). Sed multo magis eum tenuit **Philo** philosophus Academicus, qui eum et amore **Platonis** incendit et exercuit arte illa *in utramque partem disputandi*. Nam Philo etiam declamationibus more rhetorum discipulos erudiebat. Cuius disciplinae uestigia iam e prooemiis librorum *De inuentione* elucent. Nam in primo philosophos hortatur ut eloquentiae armis ciuitates regant (quod Platonis est); in secundo sese nullis certis sententiis addictum semper de omnibus dubitare uelle fatetur (quae est ratio Academica qualem Philo docebat).
45. Theodor Nüßlein (ed.): *Cicero, De inventione - De optimo genere oratorum*, Lat.-Germ., Darmstadii 1998
46. Wilfried Stroh: *Cicero – Redner, Staatsmann, Philosoph*, Monachii 2008, 9-13, 18 sq.

Schola X

(49) Ciceronis fere **50 orationes** seruatae e maiore parte sunt generis **iudicialis**; quarum plures ad causas publicas, paucae ad priuatas pertinent. Minor pars orationum generis **deliberatiui** est aut in senatu aut ad populum habitarum. Orationes iudiciales in causis publicis uarietate criminum et legum quibus iudicia constituuntur inter se differunt. Nam *lege Cornelia de sicariis* tenentur qui hominem occiderunt (S. Rosc., Cluent.). Quod scelus aut simile aliquid si contra rem publicam commisum est, accusantur *lege Plotia* aut *lege Pompeia de ui* (Cael.; Mil.). Ad rem publicam spectant etiam *lex Cornelia de repetundis*, qua magistratum crima tenentur (Verr., Flacc.), et *lex Tullia de ambitu*, quam Cicero ipse consul tulit (Mur.), postea *lex Licinia de sodaliciis* (Planc.). Cum ciuitas Romana alicuius in dubium uocata est, quaeritur *lege Papia de ciuitate* (Arch.). Sunt populi quoque iudicia (Rab. perd.); speciem legitimae actionis habuerunt etiam iudicia quaedam Caesaris dictatoris (Lig.).
47. Wilfried Stroh: *Taxis und Taktik: Die advokatische Dispositionskunst in Ciceros Gerichtsreden*, Stuttg. 1975
48. Jonathan Powell / Jeremy Paterson (ed.): *Cicero the advocate*, Oxonii 2004 (praefatio optima)

(50) In iudiciis uersari Cicero non ante **Sullam dictatorem** (82-79) coepit. Ac primum in oratione *Pro Quinctio* habita (81) patronus eius erat, qui a partibus popularium steterat, contra dicente Hortensio. Quae oratio et acumine et iuris prudentia excellit, quamquam Cicero numquam inter iuris consultos numerabatur. Felicissime tum defendit *S. Roscium Amerinum* parricidii reum (80) aduersus opes Chrysogoni liberti dictatoris. Vnde eius fama crevit. Sed propter uocem debilitatam medici ut totum hoc genus uitiae desereret suaserunt. Contra Cicero in Asiam Rhodumque iter fecit ut ab optimis magistris uocem corroborare disceret. Romam redux mox **quaestor**, deinde **aedilis** factus est. Maximam autem gloriam assecutus est accusando *Verrem* (70), qui pro praetore Siciliam pessime administrauerat. **Praetor** autem primum ad populum dicere cepit, *De imperio Cn. Pompeii* (66), oratione ualde ornata. Eodem anno *Pro Cluentio* specimen orationis callidissimae dedit; quae plenissima est caedum, rapinarum, stuprorum. Secutus mox est **consulatus** (63), quo non solum Catilinam sociosque eius deuicit, sed etiam multa popularia populo dissuasit. XII autem orationes eo anno habitas postea (a. 60) collegit, ut (ad Demosthenis exemplum) *Orationes consulares* essent.
49. Christian Habicht: *Cicero der Politiker*, Monachii 1990

(51) P.Clodius Ciceronis inimicus tribunus plebis (58) legem promulgauit in eum qui ciuem Romanum indemnatum occidisset. Quam metuens Cicero in Graeciam tamquam in **exilium** fugit, donec anno post (57) Romam reuocatus est. Orationes tum habitae *Post redditum* uocantur, quibus fugam suam ut magnum meritum celebrat.. Egregia autem est propter uim doloris *De domo sua*. Inuitus autem eis qui Romae tum dominabantur morem gerere coactus est, quod maxime fecit *De prouinciis consularibus* (55), quae laudes Caesaris habet. Libentius *Pro Milone* (52) amico suo dixit, qui Clodium occiderat. Quo iudicio Milo damnatus est, cum oratio Ciceronis tumultibus turbata esset. Quare eam postea aliis uerbis perscriptam edidit.

(52) Bello ciuili Pompeium secutus est; postea **Caesaris** ueniam impetravit. Quo dictatore (49-44) pro aduersariis Caesaris nonnumquam dicere ausus est, ut *Pro Marcello* in senatu, *Pro Ligario* et *Pro Deiotaro* coram Caesare quasi iudice. Post Idus Martias (44) **M. Antonio** dominante fuga primum se subtrahebat, tum Romam reuersus duabus orationibus *In Antonium* (= „Phil. 1; 2“) eum prouocauit. Cum autem Antonius Mutinae D. Brutum obsideret, ut Gallia potiretur, Cicero **XII Orationibus Philippicis** (= „Phil. 3-14“) senatui populoque Romano persuasit, ut Octauiano duce bellum cum illo gererent, fatali euentu. Nam cum Octauianus perfidus societatem cum Antonio fecisset, Cicero inter proscriptos occisus est (43).
50. Wilfried Stroh: „Ciceros demosthenische Redezyklen“, MH 40, 1983, 35-5052 (de numero Philippicarum).
51. Manuwald, Gesine: *Cicero, Philippics 3- 9, 2 uol.*, Berolini / Neo-Eboraci 2007 (comm.)

Schola XI

(53) Cicero simul **orator et rhetor** fuit. Vt philosophus non solum nouus Demosthenes, sed etiam nouus Aristoteles esse cupiebat. Nec scripsit de rhetorica, nisi cum publice agendi ei opportunitas minor data esset: libros **De inuentione** ante a. 81 iacentibus iudiciis; **De oratore** a. 55 dominantibus tribus uiris illis; ceteros libros a. 46 Caesare dictatore. Quae scripta inter se sunt dissimilia: libris *De inu.* omnem subtilitatem doctrinae ab Hermagora inuentae Latine reddit; in l. *De or.* cum Platone et Aristotele de rhetorica et philosophia inter se coniungendis quaerit; in **Bruto** et **Oratore** suum genus elocutionis aduersus reprehensores defendit.

52. May, J.M. (Hg.): *Brill's companion to Cicero: oratory and rhetoric*, Lugduni Bat. 2002

(54) Libri **De inuentione** partem uniuersae artis rhetoricae habent. Quos minoris faciunt uiri docti, iniuria. Incipit a primis diuisionibus, tum sophistarum more de **partibus orationis** iudicialis agit: de prooemio, narratione, partitione, confirmatione, reprehensione, digressione, conclusione. Etiam utilior est liber II, ubi **loci singularum constitutionum** (s. statuum) et generis rationalis (4) et generis legalis (5) explicantur. Sequuntur loci generis deliberatiui et demonstratiui. Omnia plena sunt acuminis. De **fontibus** autem omnes rhetoricos libros uetustiores legisse se testatur, non incredibile. In prooemiis ualde philosophum se praebet.

(55) Libri **De oratore** duplex habent propositum: 1. omnem artem exponere uult non modo ad doctrinam Graecorum, sed etiam ad usum **Romanorum**, 2. euincere oratori perfecto non modo arte rhetorica, sed omni liberali doctrina et **philosophia** opus esse. De altero in lib. I in utramque partem disputant oratores nobilissimi, Crassus, qui meliorem sententiam defendit, et Antonius. In lib. II ambo de ipsius artis rhetoricae praeceptis agunt. II: Antonius de inuentione (et id quidem aristotelice), dispositione, memoria. III: Crassus de elocutione, pronuntiatione. Hic a Crasso retractantur quae Cic. in prooemio primo *De inu.* exposuit: sapientiam et artem oratoriam inter se coniungendas esse, sed nunc non ut sapientes eloquentes fiant, sed ut eloquentes etiam philosophiam addiscant, quo orator de omnibus rebus copiose possit dicere.

53. Wolf Steidle: "Einflüsse römischen Lebens und Denkens auf Ciceros Schrift *De or.*", *MH* 9, 1952, 10-41

54. Karl Barwick: *Das rednerische Bildungsideal Ciceros*, Lipsiae 1963

(56) Ultima opera scripta sunt contra eos oratores qui tum dicebantur **Attici**, quorum princeps Caluus fuit (qui Demosthenem imitabatur). Qui Ciceronem ut tumidum et compositione molliorem uituperabant, uocabant etiam **Asianum**. Defendit se Cicero primum in **Bruto**, ubi historiam eloquentiae cum Graecae tum Romanae sic recenset ut etiam de se suaque disciplina plurima dicat: fuisse quidem olim se nimis redundantem, sed praesertim Molonis rhetoris Rhodii opera tumore liberatum esse. Ceterum deplorat misera rei publicae tempora, quibus adulescentium ingenia iam nullum campum habeant in quo eloquentia excellere possint.

(57) Etiam diligentior est in **Oratoris** libro. Ibi quoque (ut in libris *De oratore*) disputat de **oratore perfecto**. Sed nunc in illo non tam uniuersa illa doctrina requiritur quam facultas adhibendi **tria genera dicendi**. Esse enim genus tenue, medium, uehemens. Quod non fuit nouum, sed antiquitus traditum. Cicero autem audacter haec tria genera coniungit cum **tribus modis persuadendi**, quos Aristoteles inuenierat, scilicet: rem (siue rationem) ipsam, mores dicentis, perturbationem animorum (siue affectus). Quas Cicero uocat rationes docendi, delectandi (olim rectius: conciliandi), permouendi. Ad docendum aptissimum esse genus tenue, ad delectandum medium, ad permouendum uehemens, quo **Demosthenes** maxime eminuerit. Peccare igitur **Atticos** illos contra ipsa officia oratoris, si tenue genus nimium amplectantur. - Ac mirifica sunt quae hic de numero oratorio dicit, quamquam interdum errat.

55. Wilhelm Kroll (comm.): *Cicero Orator*, Berolini 1913 (it. 1961; nunc quoque egregius)

56. Hellmuth Flashar: *Le classicisme à Rome au 1er siècle avant et après J.-C.*, Genevae 1979 (insunt disputationes uirorum doctorum Th. Gelzer, G.W. Bowersock)

Schola XII

(58) Cornelius Seuerus de Ciceronis morte: *Conticuit Latiae tristis facundia linguae.* Contra Asinius Pollio: se mutum non esse. Nunc autem plurimi ueram eloquentiam tum cecidisse credunt. Neque eam postea iam in foro fuisse, sed in **scholis declamatoriis** delituisse. De quibus queritur Encolpius apud Petronium, Messalla apud Tacitum. Sed eloquentia forensis non tota desiit esse. Noti sunt oratores: Pollio, Messalla Coruinus, alii (aetate Augusta). Contiones quidem rariores erant, sed restabat occasio dicendi in senatu, praesertim in iudiciis: Plinius, Tacitus suo tempore oratores forenses nobilissimi erant. Eoque spectat Quintilianus.

(59) Ac **declamationes** ipsae per se uetustae paene una cum rhetorica natae sunt. Omnes Romani oratores declamauerunt, ut etiam Cicero (Graece, postea Latine). Vsitatus ordo in docendo (notus e *Declamationibus minoribus* Quintiliani): 1. ponitur thema, in controuersiis duplex (lex, causa), 2. sermo magistri, 3. declamatio. Quid nouum? Rethores etiam publice declamare coeperunt ostentationis causa. Illuc ergo homines uelut ad spectaculum confluabant. Similiter ad *recitationes* sciptorum quoque. Maximum exemplum noui generis Porcius Latro, qui uetuit discipulos dicere ipsos. Contra Asinius Pollio: numquam declamabat coram populo, quamquam recitabat. Sed multi declamatores etiam in foro uersabantur.

57. Stanley F. Bonner: *Roman declamation in the late republic and early empire*, Berceleiae et al. 1949

58. W. Stroh: „Declamatio“, in: Bianca-J. / J.-P. Schröder (ed.), *Studium declamatorium*, Lipsiae 2003, 5-34

(60) Auctor nobis est Annaeus **Seneca maior**, falso dictus „rhetor“: adulescens audiuerat declamatores illustrissimos, inde a Ciceronis morte. Senex (anno fere 35 p.Chr.) mira memoria audita refert X libris **Controuersiarum**, II **Suasoriarum**. Scriptum autem est filiis tribus. Singulorum librorum in praefationibus singulos rhetores proponit, ut in I. Porcium Latronem (admirabilem, sed in foro pessimum), in II. Fabianum philosophum, in III. Cassium Seuerum (in foro eregium, in schola minorem), IV. Pollionem et Haterium, VII. Albucium Silum (melius coram populo quam inter discipulos declamantem; in foro derisum), IX. Votienum Montanum (delamationes contemnentem), X. Labienum, alios. – Postea ponitur primum argumentum (= lex et causa). Tunc sequuntur **sententiae** (lumina argute dicta) uariorum declamatorum, in utramque partem. Adduntur **diuisiones**, quibus causae quaestiones notantur, tum **colores** (quos rhetor ipse causae addit). Deinde sequuntur alia argumenta.

59. Michael Winterbottom (ed.): *The elder Seneca*, 2 uol., Cantabr., Mass. / Londini (Loeb) 1974 (praefatio!)

(61) Exemplum sit **Sen. contr. 1,1: PATRVVS ABDICANS**. [Lex:] *Liberi parentes alant aut uinciantur.* [Causa:] *Duo fratres inter se dissidebant; alteri filius erat. Patruus in egestatem incidit; patre uetante adulescens illum aluit; ob hoc abdicatus tacuit. Adoptatus a patruo est. Patruus accepta hereditate locuples factus est. Egere coepit pater; uetante patruo alit illum. Abdicatur.* Plurimi declamatores filium defendant, pauci patruum abdicantem. In diuisione Latro quaerit: (1) *an abdicari possit*, (2) *an debeat (ius - aequitas)*; noui addunt: *an adoptatus abdicari possit*. Varii sunt colores. - In **Suasoriarum** 7(ultima) haec est causa *Deliberat* Cicero *an scripta sua comburat promittente Antonio incolumitatem si fecisset*.

(62) Post 91 p.Chr.n. M. Fabius **Quintilianus**, qui publico salario rhetoramicam docuerat, scripsit **Institutionem oratoriam** XII libris. Quae artium rhetoriarum omnium amplissima (et optima) est. Nec solum libris III –XI omnem artis materiam (inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem) lucidissime explicat, sed etiam plus habet: Libris I et II oratorem a primis incunabulis ad initia ipsius rhetoricae prosequitur, libro X in usum oratorum omnium Latinarum litterarum historiam exponit. Ultimo libro XII etiam de moribus oratoris disputat, de uaria doctrina oratori necessaria, de tribus generibus dicendi.

60. George A. Kennedy: *Quintilian*, Neo-Eboraci 1969

Schola XIII

(63) De causis **corruptae eloquentiae** illo saeculo multi scripserunt: **Seneca** maior, **Quintilianus**, praesertim **Tacitus** in *Dialogo de oratoribus* (post 100 p.Chr.). Is tres opiniones protulit. Aper orator nouam eloquentiam etiam meliorem quam uetustam putat. Messalla orator educationis uitiis culpam attribuit. Maternus poeta maximam eloquentiam alumnam licentiae et corruptae rei publicae existimat felicitatique suae aetatis gratulatur. Tacitus ipse certe transiit ad historiam. – Cuius amicus **Plinius Panegyricum** scripsit (quae oratio prima integra post Ciceronem nobis seruata est); plurimi *Panegyrici Latini* secuti sunt.

61. Konrad Heldmann: *Antike Theorien über Entwicklung und Verfall der Redekunst*, Monachii 1982

(64) Iam **Sallustius** orator et historicus cooperat oratores uestustiores ut Catonem imitari. Quem saec. II. p. Chr. plures secuti sunt, quae disciplina nunc satis barbare „**archaismus**“ uocatur. Quem deprendimus in Gellio, praecipue in **Frontone**, qui suo tempore orator rhetorque nobilissimus, etiam magister M. Aureli imperatoris fuit. Postea **Apuleius** tale genus eloquentiae in Africam transtulit, ubi Romanis litteris nouus splendor accreuit. Oratorem iudicialem Apuleius se probauit in oratione **De magia** habita. Etiam statuis celebrabatur.

62. Jürgen Hammerstaedt & al.: *Apuleius, De magia*, eingel., übers. [...], Darmstadii 2002

(65) Aetate Augusta Graecos quoque Romani ad nouum studium oratorum Atticorum incitauerunt. E Romanis **Atticis**, quorum Caluus princeps fuerat, ortus uidetur ille qui dicitur „**atticismus**“ Graecorum: Caecilius Calactinus scripsit de elocutione oratorum Atticorum, item **Dionysius Halicarnassensis**, cuius opera e magna parte seruata sunt. Scripsit autem diligentissime *De compositione uerborum*. - In rhetorica saec. II p. Chr. maxime enituit **Hermogenes** cultor Demosthenis et Platonis. Nunc multo notior est ignoti auctoris liber **De sublimitate** (sub nomine Longini traditus): hic quia ius sublimis ingenii aduersus timiditatem praceptorum scholasticorum defendit, plurimis semper placuit.

63. Thomas Hidber: *Das klassizistische Manifest des Dionys von Halikarnass* [...], Stutgardiae 1996

(66) Floruerunt praecipue saec. II p.Chr. noui oratores Graeci, quorum multi se **sophistas** dixerunt: unde tota haec disciplina „**sophistica secunda**“ (Erwin Rohde) uocatur. Hi histrionum more coram populo agebant, splendide induiti, plausibus accepti. Quorum mores non semel derisit **Lucianus** Samosatensis. Optimus autem fuit **Dio Chrysostomus** (40-120 p. Chr.), orator et philosophus Cynicus. Olim celeberrimus erat Herodes Atticus, nunc magis legitur Aelius Aristides. Maxime fecundus certe erat **Libanius**, qui saec. IV Constantinopoli et Antiochiae rhetoricae docuit.

64. Martin Korenjak: *Publikum und Redner* [...], Monachii 2000

(67) **Eloquentia Christiana a Iesu** ipso ut optimo oratore incipit: is explicare Veteris Testamenti scripta in synagogis solebat; eius *Sermo in monte habitus* hodieque omnium orationum notissima est. Discipulos suos oratores quidem uolebat esse, sed dicere eos iussit subito, sine meditatione. Ex apostolis **Petrus** (cum interprete) et **Paulus** Graeca lingua dicebant: Paulus etiam Athenis! Post illos „**apologetae**“ q.d. rhetoricae Graecae periti nouam religionem aduersus calumniatores defendebant. Hos Latina lingua secutus est **Tertullianus**, praesertim in *Apologeticō* (197 p. Chr.): opus eloquentissimum! Saec. IV demum florebant Christianae litterae: Lactantius ipse magister eloquentiae fuerat. **Ambrosii** sermones dulcissimi non solum Augustino lacrimas mouerunt. Apud Graecos summus erat **Ioannes Chrysostomus**, „Demosthenes Christianus“, praeterea Basilius, Gregorius Nazianzenus. Omnes uero supereminet **Augustinus**, orator maximus et simul rhetor: cuius liber IV *De doctrina Christiana* scriptus, Ciceronis *Oratorem* generi dicendi Christiano accommodat.

65. George Kennedy: *Classical rhetoric and its Christian and secular traditions* [...], Londini 1980, 120 sqq.